

Integra, ut in edit. col. 275. n. LXXII.

XLIII. fol. 132. p. 2. Incipit ad Cornelium de Conf. Redeunt (ibus) in Ecclesia. Cyprianus Cornelio fratri salutem. Initium: Et egisse nos et agere frater karissime maximas gratias &c. Integra, ut in edit. col. 139. n. XLVII.

XLIV. fol. 133. Incipit ad Maximum Presb. et Urbem (Urbanum) et Sidonium et Macarium. Cyprianus maximo presbytero item urbano et sidonio et macario fratribus salutem. Initium: Lectis litteris uestris fratres karissimi quas ad me &c. Integra, ut in edit. col. 145. n. LI.

XLV. fol. 134. Incipit Cyprianus ad Presbit. et Diacon. Cyprianus presbyteris et diaconibus fratribus (Carthagin.) salutem. Initium: Quales litteras ad Clerum Romae agentem &c. Integra, ut in edit. col. 103. n. XXXII.

XLVI. fol. eod. Incipit ad Romanos. Cyprianus presbyteris et diaconibus romae consistentibus fratribus salutem. Initium: Quoniam comperi fratres karissimi minus simpliciter &c. Integra, ut in edit. col. 57. n. XIV.

XLVII. fol. 135. Incipit ad Presb. et Diac. ut bis Conf. qui in carcere sunt constituti Humanitas omnis praebeatur. Cyprianus presbyteris et diaconibus (Carthagin.) fratribus salutem. Initium: Quamquam sciam uos fratres karissimi litteris meis &c. Integra, ut in edit. col. 113. n. XXXVII.

XLVIII. fol. 136. Incipit Cypriano Papae Presbyteri et Diaconi Romae consistentes. Cypriano papae presbyteri et diaconi romae consistentes salutem. Initium: Quamquam bene sibi conscius animus &c. Integra, ut in edit. col. 97. n. XXXI. Quomodo egregius hic Codex cum Editis non inutiliter conferri posset, specimen dedi N. I. in III. Testimoniorum Libris.

CXCIII. VII. 28

Codex membraneus lat. Sec. 346 XI. Folior. 166. f. luculente scriptus et colore viridi rubroque distinctus Opuscula continet sequentia: I. Incipit epistola Sancti Cypriani martyris. Initium: Duodecim abusua sunt seculi. hoc est. sapiens sine operibus. senex sine religione. adolescens sine obedientia. &c. Opusculum vagum sub Cypriani nomine non diu ab inducta typographia per Ant. Sorg Augustae Vindel. impressum etiam Augustino tributum est, ut diximus alibi. Finit hic: ne sine nobis christus incipiat esse in futuro.

II. fol. 10. p. 2. Sequitur absque inscriptione Liber aut Libellus S. Augustini, qui Cod. CCLXXXIII. titulum praefert: Dicta de Disciplina Christianorum, et incipit: Locutus est ad nos sermo dei &c. Adi, si lubet, Cod. illum, cui hoc Exemplum geminum est.

III. fol. 18. p. 2. Incipit Libellus De Quatuor uirtutibus. Pru-

*Prudentia. fortitudo. Temperantia. Iustitia. Qui pretitulatur formula uite honeste. Editus a quodam mar-*

*Pannoniis genitus transcendens aequora vasta Galliciae in gremium diuinis nutibus actus,*

ubi ex Abbate *Dumiensi* factus est *Braccarenfis* Archiepiscopus, diemque a. 574. iuxta alios vero 580. claudit; *Miro* vero *Theodomiri* filius Rex *Suevorum* in *Hispania* ab an. 569. aut 570. usque ad an. 582. Praefationem *Martini* ad hunc Principem, cujus prima, ut solet, verba, jam *Tritheimius* in *Script. Eccl. n. 221.* citat, primum se eruisse e *Cod. Rbemensis* putabat *Mabillonius*, eamque *Dacherius Spicil.* edit. nov. T. III. p. 312. publicavit; sed praeter quam, quod testetur *Baluzius*, eam una cum ipso Libello jam an. 1544. *Pictavis* ab *Elia Vineto* editam, objacet mihi *Basileensis* editio a. 1545. a *Gilb. Cognato Nozereno* e membrana *Guilhelmi Clereval.* in 8. min. curata, quae et ipsa Praefationem ad *Mironem* in fronte gestat; unde mirum, eam ab aliis editionibus, puta *Biblioth. PP. Lugd. T. X. p. 382.* abesse, atque id fortasse causam praebuit, ut libellus olim et *Senecae* et *Ciceroni* adscriberetur. Incipit vero haec Praefatio: *Gloriosissimo. ac tranquillissimo et insigni catholice fidei predito pietate mironi regi. martinus humilis episcopus salutem. Non ignoro clementissime rex flagrantissimam &c.* Textus illius emendatior est in *Cod. no-*

*tino episcopo ad mironem regem. Martinus* hic est, ut ipse sibi in *Epitaphio* cecinit:

*tino episcopo ad mironem regem. Martinus* hic est, ut ipse sibi in *Epitaphio* cecinit:

*stro* et in edit. *Dacherii*, quam in edit. *Cognati*, ubi pro ministeriis et patrantur instituit, prave legitur *ministeris* et *patienter institui.* In Opusculo ipso jam *Cognati* editio, jam ea, quae in *Bibl. PP. I. cit.* exhibetur, jam *Codex* noster peccat, ut adeo non nisi collatis omnibus tribus genuina lectio stabiliri queat. Addam speciminis loco ex ipso principio luculentam impressorum emendationem. Legunt illa *Singulae* (quatuor virtutes) *tibi in officiis, quae subsunt, annexae sunt ac bene moratum virum efficiunt.* Corrige e Nostro: *Singulae igitur bis officiis quae subter adnexa sunt, honestum ac bene moratum &c.* Ita et extrema *Libelli* mire corrupta sunt in editis, in *Cod. saniora.*

IV. fol. 23. p. 2. Incipit sermo ambrosii autperti presbiteri de cupiditate uiris secularibus ualde utilis. habens scripturarum testimonia octoginta et eo amplius. Lege quicumque ad edificationem. Initium: *Sanctorum aecclesiam fratres Karissimi esse dei agrum quis dubitet &c.* Autor natione *Galus*, ab aliis *Antbertus*, quin *Ansbertus* dictus, in *Italiam* delatus in *S. Vincentii ad Vulturum O. S. B. Monasterio* Monachum induit, et Abbas obiit an. 778. *Sermonis* nostri, quem alii *Librum*

adpellant, mentionem facit *Sigebertus Gemblac. c. 91.* Perditum credebat *Labbeus T. I. de Script. Eccl.* Sed praeter nostrum citatur in *Catal. Mss. Angl.* inter Codices *Coll. S. Benedicti Cantabrig.* p. 141. n. 1554. aliud Exemplum, cui, quod mirum, uti nostro *Martinus Braccar. de 4. Virtutib.* cohaeret. Reperitur fortassis etiam inter *Autperti Homilias*, quarum geminus Codex *Biblioth. Cassinens.* a *Montefalconio* in *Bibl. Biblioth. Mss. T. I. p. 222.* consignatur. Verum, quis anxie *Codices Mss.* conquirat, cum, si autores *Franciae literat. T. IV.* p. 152. n. 1. audias, impressus extet *Sermo* noster in *Alcuini Homiliario, Dom. Sexagesimae* legendus. Frustra quidem *Homiliarii* hujus editiones *Colon. 1576.* et *Lugd. 1520. f. excussi*, sed reperi saltem in *Martenii* et *Durandi Collect. ampl. Vett. Script. T. IX. col. 219.* atque sincerio-rem quidem, quam sit in *Cod.* nostro. Est tamen, ubi peccat; Ita noster in calce rectius: *Quique (quippe) etsi — totum, ut potui, laborem non exhibui, tamen — a mercede vacuus non ero.* Prius non in edito deest.

V. fol. 36. p. 2. Incipit prologus in libro *Soliloquiorum Sancti Augustini.* Prologus iste C. 4. est e L. I. *Retraetat.* cui praemittitur: *Quedam huius operis in libro retractionum correctae sunt, quae ita se habent. Inter haec scripsi &c.* Sequitur uterque Liber, non sine lectionis varietate. Ita sub initium L. I. quod *Mauriani T. I.*

*Opp. Augustini col. 355.* habent: *paucis conclusiunculis breviter collige.* Noster: *paucis conclude uinculis, breuiter collige &c.* Aliud *Soliloquiorum Exemplum* habetur *Cod. CCXXI.*

VI. fol. 62. De uita et uirtutibus *Sancti Amandi.* cuius festa est VII. Kal. Nouemb. Excerptum est e Vita S. *Amandi Ep. Traiectensis*, qui obiit an. 684. scripta ab ejus discipulo *Baudemundo*, qui ex Monacho *Elnonensi* factus est Abbas *Blandiniensis.* Integra legitur in *AE. SS. Bolland. T. I. Febr. ad diem VI.* p. 848. In *Cod.* vero incipit: *Amandus igitur sanctissimus uir. ex aquitaniae est partibus ortus &c.*

VII. fol. 63. p. 2. Incipit *Passio Sanctae Columbae.* Initium: *In diebus illis. Adueniens aurelianus imperator de partibus orientis. cum paganus esset et idola coleret. ingressus est ciuitatem senonas die octauo Kl. ianuaris &c.* Citatur *Columba*, fidem suam intrepide profitetur, clauditur in Amphitheatro, ope urfae stuprum a se avertit, iuvene, qui illud offerebat, meliora docto, liberatur ab incendio et demum capite plectitur. Ista totidem verbis, ut in *Cod.* leguntur in *Vitis SS. Bonini Mombritii* edit. f. l. et a. sed *Mediolani f. T. I. fol. 209.* et contractius in *Petri de Natalib. Catal. SS. ad diem XXXI. Decembris*, quo memoria illius maxime in *Gallia* habetur. Martyrium fecisse creditur an. 259. quo *Aurelianus Galliae* praeerat, aut potius an. 273. quo jam Imperator

tor primum eo iter suscepit. Quae de Virgine nostra certiora sunt, habes apud *Bailletum* in *Vit. SS.* ad diem *citat.* Ceterum utraque haec Narratio sic dictis in officio canonico *Lectionibus* olim deservisse videtur.

VIII. fol. 65. *Incipiunt dicta. Iohannis crisostomi. De Naturis Bestiarum.* Initium: *Igitur iacob benedicens filium suum iudam dicebat. Catulus leonis iuda &c.* Injuriam fecit magno Praefuli, quisquis futilibus hisce gerris ejus nomen adscripsit. Habes hic Leonis, Pantherae, Monocerotis, Ydri, Cocodrilli, Onocentauri, Hijenae, Onagri, Elephantis, Autulae, Serrae piscis, Viperae, Lacertae, Cervi, Dorcadis, Vulpis, Castoris, Formicae, Ericii, Aquilae, Pelicani, Nyctioracis, Fulicae, Perdicis, Struthionis, Charadrii et Phoenicis proprietates maximam partem fabulosas Christo ejusque Ecclesiae adplicatas, et ne quid ad operis commendationem desideres, horum Animalium figuras coloribus infeliciter adlitas. Ad singula citatur *Physiologus* libellus ineptus *Theobaldo* aut *Tebaldo* cuidam Episcopo tributus, et olim non raro typis expressus. Si quid e voce *Cocodrillus* conjectare liceret, *Italiam* proderet Libellus originem. Finit ille: *Sic erit et Scriba in Regno Celorum qui profert de Thesauro suo Nova et Vetera.*

IX. fol. 74. *Epistola Hieronimi Presbyteri Ad Paulam et eustochium De assumptione Sanctae Mariae.* Incipit: *Cogitis me o Paula et*

*eustochium immo karitas christi me compellit &c.* Subpositum hoc *Hieronymo* Opusculum, quod ob mentionem Solennitatis *Assumptionis B. V. M.* in Ecclesia celebrari solitae Seculo VIII. anterieus esse nequit, uno contextu legitur *T. XI. Opp. edit. Vallars. col. 92.* at in nostro *Cod.* ad ea verba: *felix et suavis refectio animarum* interrumpitur, succedente nova Rubrica: *De Assumptione S. Mariae.* Ut adeo, quae sequuntur: *Hodie gloriosa semper uirgo maria celos ascendit. rogo gaudete &c.* faciem quandam *Homiliae* praeferrant. Clausula: *et uos appareatis in gloria sempiterna. Amen.* De Autore incerto vide, si lubet, *Admonitionem* praeviam *T. et col. cit.* ubi mentionem certe meruerat *Lambecius* noster totum hoc negotium solide et erudite tractans *Comment. L. VIII. a p. 148.* edit. *Kollar. a col. 316.*

X. fol. 90. Alphabetum *Hebraicum, Graecum, Latinum, Aethiopicum* Cosmographi, *Marcomannorum* et aliquid de *Monogrammatibus.* *Rabano Mauro* haec tribuuntur et extant edit. *Colon. Opp. T. VI. p. 333.* inscripta de *Inventione Linguarum*, sed ibi plenius. Cuius *Alphabeto* brevis praefixa est Notitia, quae ad *Hebraicum* incipit: *Primo omnium littere linguae a moyse inuente sunt &c.* Et Codex noster et Impressa levioribus mendis scitent, quae mutua opera facile tolluntur. Sed, ubi de *Monogrammate* in Impressis legitur: *ubi pictura cum museo in pariete imaginis aut in velis vel alicu-*

alicubi aliter facta fuerit, et in Codice: ubi pictura cum muscii in parietate in imaginibus aut in velis &c. restituendum putem: pictura cum musivo, in pariete, in imaginibus aut in velis. De Aethico vide, quae erudite notat Job. Aug. Ernestius ad L. II. c. 8. Biblioth. lat. Fabricii, edit. Lips. 8. 1773. T. II. p. 81. Sequitur in Codice Catalogus Ὀνοματοποιος alphabeticus Sonorum, quos edunt diversa Animalia. Ita: Apes ambizant vel bambizant. Aquile clangunt. Anseres crinciunt vel trinnunt. Aues minuriunt vel uernicant. Accipitres pipant vel pipulant &c. Multa nullo Veterum autore.

XI. fol. 92. Incipit domini ambrosii de paradiso. Initium: Et Plantavit Deus paradysum in eden — De paradiso adoriendus sermo non mediocrem estum nobis uidetur incutere &c. Finis: metemus ea quae sunt spiritalia. Extat Liber hic T. I. Opp. edit. Maur. Paris. 1686. col. 145. in Capita divisus, quocum tamen Exemplum praefens conferri mereretur; vel prima enim pag. legit uix aliquis pro vir aliquis, quod viderit pro quod audierat, extolli pro extollere se, studendum est pro timendum est, sollicitate indicare, pro sollicitius indagare, Non uilem igitur pro Non igitur bylen &c.

XII. fol. 117. p. 2. Disputatio de seruanda anime puritate. Initium: De Moralibus cottidianum sermonem habuimus cum uel patriarcharum gesta uel prouerbiorum legerentur precepta &c. Fragmen-

est Liber Ambrosiani de Mysteriis T. II. Opp. edit. cit. col. 325. in illis c. 3. verbis: Quid enim aliud in hoc cottidie fac — — obticescens. Nota peculiarem Inscriptionem, quae Maurianis nullibi occurrisse videtur. Egregie tamen illi in Praef. T. II. obseruauerunt, ex ingressu suprac. conjici posse Ambrosium etiam in Proverbia commentatum fuisse.

XIII. fol. 119. De Salemone. Incipit: Solet queri de salemone an sit perditus. Quem reprobatum esse a deo testatur beatus augustinus &c. Praeter hunc adducitur Gregorius, Hieronymus et Ambrosius, in cuius testimonio abrum-pitur tractatio.

XIV. fol. 120. In nomine Sancte trinitatis. Incipit tractatus Sancti ambrosii de penitentia. liber primus. Initium: Si virtutum finis est ille maximus qui plurimorum expectat profectum &c. Mutilum Opus a L. I. c. 6. hisce verbis: sed etiam misericordia copulaverit. Extat integrum edit. cit. T. II. col. 389.

XV. fol. 125. Incipit beatissimi ambrosii episcopi de misteriiis. Ut supra n. 12. Verum hic Liber integer, et, ut videtur, ex eodem sumtus Exemplo, quo superius Fragmentum

XVI. fol. 133. absque primae manus inscriptione, sed notatus in margine Sermo de Penitentia, idem Ambrosii Tractatus de Poenitentia Libris II. constans, cuius Fragmentum mox n. 14. indicatum est. Videtur et hic ex eodem Exemplo descriptus, e quo Fragmentum.

Fragmentum. Ad Libri II. initium nihil aliud, nisi rursus in margine: *Sermo de penitentia*. Nulla divisio in Capita. Extrema: *mundi istius nexu debemus absolvere*.

XVII. fol. 163. absque titulo a prima manu, sed in margine notatus: *sermo de sacramentis*, est *Ambrosii* I. de sex Libris, qui de *Sacramentis* inscribuntur. Initium: *De Sacramentis que accepistis sermonem adorior &c.* Legitur edit. cit. T. II. col. 349. cum V. Subsequis, qui absunt a Codice.

XVIII. fol. 165. p. 2. Sermo *ἀνεπιγχαφος*, in quo *Decem Dei Praecepta* cum *Decem Aegypti Plagis* conferuntur. Editores *Mauriani* hujus argumenti Sermonem, seu *Fragmentum Sermonis inter Eugipii excerpta et in Mss. Regio et Victorino repertum* in *Classe* I. n. 8. T. V. col. 41. publicaverunt. Ut edicam libere, Exordium, quod ibi legitur, nullatenus cum reliquo orationis corpore cohaerere mihi videtur. Idem edicent, qui paullo adtentius illud pensitaverint, eoque promptius, ubi cum illo contenderint, quod nostro e *Cod.* hic adscribo. *Non est sine causa, Fratres dilectissimi! quod preceptorum legis dei numerus cum numero plagarum, quibus Aegyptus percutitur, exaequari videtur. Nam sicut decem praecepta sunt, quibus ad cultum dei populus admonetur, ita decem plagae leguntur, quibus superbia Aegyptiorum affligitur. Consideremus ergo cur et ibi decem praecepta, et hic decem plagae*

Denis Codd. mss. theol. Bibl. Palat.

*memorentur. Ideo sine dubio, quia in illis erant vulnera, in istis medicamenta. Et opus erat, ut periculosis plagarum decem vulneribus decem praeceptorum medicamenta subvenirent.* Atque deinceps *Codex* cum *Editis*: *Primum est preceptum in lege de uno deo. Non erunt inquit tibi dii alieni preter me. Prima plaga aegyptiorum aqua conuersa in sanguinem. Compara primum preceptum prime plage &c.* In sequentibus multa omittit *Codex*, quae habentur in *Editis*, dum tandem in *Praecepto decimo* his verbis deficiat: *Nemo enim operatur, nisi fides praefecerit* — — foliis subsequis desperditis. Ut facile dem, Corpus ipsum Sermonis a quodam in compendium redactum fuisse, ita aegre deducar a sententia, genuinum ei Exordium ex hoc *Cod.* restitui posse.

Fuit is olim *Monastery Sancti floriani Patauien. Dyoc.* id est *Canonico.* Reg. in super. *Austria*, ut non uno loco testatur.

#### CXCIV.

*Codex* membranaceus lat. Sec. 44 XV. Folior. 346. perquam eleganter scriptus, et nitidissime pictus et deauratus *Florentiae* pro *Matbia Corvino* R. *Hungariae*, cujus Insignia et Symbola in Frontis marginibus supersunt, licet Scutum ejus primarium inferne deletum et aliud superinductum fit *Johannis Marchionis Bergensis, Comitisque de Walbain* a *Maximiliano I.* in splendidissimum *Equitum*